



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XVI. De Sacramentis non iterandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XV.  
DE SACRA UNCTIONE.

**V**arias Unctiones esse ex cap. uni. huius tit. patet. Unguntur Episcopi, dum consecrantur, Sacro Chrysmate in capite, & in manibus; ungentur etiam Sacerdotes, dum consecrantur oleo simplici benedicto in manibus; ungentur hoc etiam oleo benedicto Reges aliqui, dum coronantur, in brachio & humero; ungentur oleo infirmorum moribundi; & omnes Christiani, prius quam baptizantur, oleo simplici Catechume-

norum ungentur in pectore, & in scapulis, & post Baptismum à baptizante sacro Chrysmate ungentur in vertice; ac tandem etiam hoc sacro Chrysmate ungentur ab Episcopo in fronte, quando illis confertur Sacramentum Confirmationis &c. & præter has unctiones hominum ungentur etiam quædam vasa sacra, Altaria, Ecclesiæ, dum consecrantur, &c.

TITULUS XVI.  
DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

**E**sse Sacramenta aliqua, quæ iterari non debent, ex Catechismo patet, Baptismum scilicet, Ordinem & Confirmationem, de quibus in hoc etiam titulo agitur, ubi potissimum id asseritur, quod in talibus Sacramentis, si quid in illorum administratione, vel ex incuria, vel ex alia negligentia, aut malicia omis- sum fuit, cautè postmodum supplendum sit, si scilicet id, quod omis- sum est, ritus tantùm accidentaliter sit; vel si substantiale quid omis- sum sit, cautè (ut ne aliis rudibus scandalum detur) supplendum quidem sit, adhibitis tamen aliis etiam substantialiter ad valorem Sa-

cramenti requisitis, quamvis hæc prius adhibita fuissent; cùm enim omis- sum sit substantiale aliquod, sacramen- ta autem suum valorem non habeant, nisi simul omnia substantialia adhibean- tur, consequenter, si diversis temporibus jam hoc, verba v. g. iam illud sub- stantiale, materia scilicet ponatur, Sa- cramentum non conficietur, & conse- quenter etiam, si omis- sum prius substan- tiale quid, materia v. g. fuit, quamvis sola verba posita sint, postmodum au- tem materia omis- sa cum verbis ponatur, non dicitur iteratum Sacramentum tale, quia prius nunquam collatum fuit.

Q 3

TITV.